Temberski Stanisław: Assertio meteorologica de natura, causis, numero atque motu ventorum.

QVÆSTIO METEOROLOGICA

DE

Natura, Causis, Numero, atquè Motu Ventorum.

A

M. STANISLAO TEMBERSKI,

In Archigymnasio Polono,

Publicæ discussioni proposita.

Permissu

MAGNIFICI DOMINI

RECTORIS.

In Lectorio DD. Theologorum.

Anno Domini 1645. Mense Martio, Die 24 Hora XIII.

CRACOVIÆ,

In Officina Francisci Cæsarij.





JLLVSTRI Ac MAGNIFICO DOMINO,

D. STANISLAO LANCKORONSKI.

SCALENSI CAPITANEO,

Mecænati Fauentiſsimo.

M. STANISLAVS TEMBERSKI O. P.



Xiguam hanc Philoſophiæ Naturalis controuerſiam, admirandis Meteorologicarum difficultatum diuerticulis, ex parte Ventorum refertam; atque inter publicos Lycei Poloni parietes, excuſſam; cuinam offerre deberem, non admodùm mens mea fluctuabat: quippe actutùm mihi, Tuæ Inclytæ Domus iubar affulſit; cuius radiis, certamen hoc Philoſophicum

censui obarmandum. Et quidem ipse Leo Gentilitius, æquè radiis, quà igneis quà ventosis instructus; certum ac indubitatum ius defensionis mihi porrexit, symbolicè innuens; omnes Disputantium impetitiones, irritas futuras. Cui Leoni, gratæ mentis tabulam & appenderem, & ampliora orationis vela explicarem: nî mihi pro comperto foret, nullum esse tantum ingenij flumen, quo ab eximia Nobilissimæ Domus claritudine, multa intercapedine non superetur. Accipe itaq; vultu sereno, hoc obsequij & obseruantiæ meæ, erga Illustrem & Magnificam Dominationem Tuam, tenue argumentum: mearum autem erit partium, Superos precari; vt Te, ad Ecclesiæ, Patriæ, Familiæ ornamentum; retineant sospitem quàm diutissimè.

QVÆ-



QVÆSTIO

V Venti ab exhalatione calidâ & ſiccâ, eſſentiam ſuam deſumentes, cauſas certas, cum certa deſignatione numerica, atque proprias operationes habeant, nec ne?

CONCLVSIO I.

Ventus eſt exhalatio calida & ſicca, liberè per aërem mobilis.

COROLLARIA.

I. Exhalatio merè dicit fumum ſeu vaporem, petentem aëris regionem, tàm ſupremam, quàm mediam, & infimam.

II. Exhalatio humida, connotat quiditatem vaporis frigidi : ſicca verò quiditatem fumi calidi.

III. Libera mobilitas, deſumitur à libera agitatione vaporis alicuius, per aëris mediam regionem delati.

IV. Exhalatio ventis ſeruiens, carens libero exitu, cauſat in cauis locis, terræ tremorem.

V. Ventis aduenientibus, fit ceſſatio pluuiarum, & è contra.

CONCLVSIO II.

Materialis cauſa ventorum, deſumitur ab halitu terreſtri, frigido, ſicco. Efficiens cauſa eſt, virtus ſolaris atque vis aſtrorum. Finalis eſt, facere áëris atque aquæ commotionem. Formalis, ipſa ſpiratio.

COROLLARIA.

I. Halitus terreſtris, ſubtilis, vt ſiccus; eſt inflammabilis:

mabilis: vt autem frigidus, & crassus; est aëris propulsiuus.

II. Sol & astra, eleuant halitus ex terra, virtute sua; qui in suprema aëris regione situati, formant ignitas impressiones: in media aëris regione constituti, aqueas: in infima, sensibiles ventosas propulsiones.

III. Venti Orientales, causantur à sole: Septentrionales, ab Ioue: Meridionales, à Marte: & Occidentales à Luna: iuxta Astronomos.

IV. Immotus aër & aqua, ob nimiam quietem, putredini sunt obnoxia; quâ putredine, nonnunquam animantia enecantur.

V. Exspirationes eleuatæ, in quatuor vapores secernuntur. Primus terrestris, subtilis, inflammabilis; ex quo fiunt Meteora ignita: v. g. stellæ Comátæ, Lancea ardens, Assub: &c. Secundus aqueus humidus; ex quo fiunt ros, pluuia, pruina, &c. Tertius terrestris frigidus, siccus; ex quo fiunt venti. Quartus est vapor terrestris grossus valde, & frigidus; qui conclusus in visceribus terræ, eius motum causat.

CON-

CONCLVSIO III.

Ventorum numerus, ſecundùm ſpirationes cardinales & collaterales, ad ſectiones duodecim reuocatur.

COROLLARIA.

I. Venti differunt inter ſe, per accidentalem ſituationem, non verò ſpecificè.

II. Venti diuerſificantur ſecundùm originem, numerum, locum, flatum, & tempora.

III. Concors Phorum ſententia, diſtinxit ventos 12. Auſtrum, cum triplicitate collateralium: Septentrionalem, Subſolanum, & Zephyrum, cum triplicitatis collateralibus.

IV. Nautarum & Hydrographorum induſtriâ numerantur venti, Triginta & duo: ex eo fundamento; quia venti ab omnibus terræ partibus prodeuntes; ſpirant: atq; ſic Auſtrales, humidi: Septentrionales, Frigidi & Sicci: Orientales, calidi & ſicci: Occidentales frigidi & humidi, nuncupantur.

V. Col-

V. Collaterales Auſtri ſunt; Euro auſter, & Auſterafricus: Subſolani; Vulturnus, & Eurus: Septentrionis; Aquilo, & Corus: Zephyri; Africus, & Circius.

CONCLVSIO IV.

Proprium eſt ventis, ſpirare lateraliter, & moueri in obliquum.

COROLLARIA.

I. Duo venti, habentes poſitionem directam, non poſſunt ſimul flare; aliàs alter alteri inſidiaretur, & vi maiore factâ, vnus cederet, alter victoriam aſſequeretur.

II. Motus ventorum lateralis, prouenit ob exhalationes, tàm ſurſum aſcendentes, quàm deorſum deſcendentes.


III. Ventorum motus eſt tortuoſus, qui inſtar circulorum mouetur ante ſe ad oppoſitum, reſiſtentibus partibus directis in áëris regionibus.

IV. Ventorum ſpiratio, aliquando euenit inſecū-

da: obſeruatum enim eſt; à Typhone nauigia in gyrum acta, diſſolui: ab Ecnephia ædificia, turres, euerti: à Preſtere, nonnunquam quædam proſterni atque comburi.

V. Licet ventus recto diametro ſurſum, vel deorſum non moueatur, tamen ei conceditur, vti vapori, obliquus motus.

VI. Ventorum ſpiratio, certis in regionibus non agnoſcitur. Nam Athenis, flat Sciro; qui reliquæ Græciæ ignoratur: ita Calabriam, vexat Iapyx: Apuliam, Atabulus: quorum nos ſumus expertes. Quare Columbus Magnus, inuentor Noui orbis, & Indiarum inferiorum; notauerat quoſdam Ventos frigidos, ex mari prouenire: quorum denominatio non omnibus liquet.





Sub felicibus auspiciis

Magnifici ac Admodum Reuerendi Domini,

D. IACOBI VITELLII,

S. Th: Doctoris, ac Professoris; Canonici S. Floriani, Almæ Academiæ Cracouiensis, vigilantissimi

RECTORIS.

